



## The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KUPANGENSIS ET ALIARUM<sup>1</sup> IN INDONESIA NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA**

**CONSTITUITUR KUPANGENSIS NOMINE** Quo aptius prospiceretur spirituali saluti atque regimini Christifidelium in Republica Indonesiana degentium, nuper Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Venerabiles Fratres Episcopi Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, auditis quorum interest votis, novam ecclesiasticam provinciam Kupangensem nomine in eadem Natione censuerunt esse constituendam. Nos igitur, Qui Patris et Pastoris universae Ecclesiae fungentes munere ea omnia libentes confirmamus, quae in populi Christiani cedunt bonum, accepta eiusdem Congregationis sententia simulque rata habita, Apostolica Nostra potestate usi, hisce Litteris sub plumbo datis haec statuimus atque iubemus. Novam provinciam ecclesiasticam in Indonesia condimus *Kupangensem* nomine, quae coalescat Ecclesiis Kupangensi et Atambuensi, adiunctis quidem insulis Alor et Pantar, necnon Ecclesia Veetebulaënsi, detracta Sumbawa insula ac dioecesi Denpasarensi adnexa; quarum vero Ecclesiarum prima erit metropolitana eodem servato Kupangensi nomine cum omnibus iuribus talium Sodium propriis, ceterae autem Ecclesiae Atambuensis et Veetebulaënsis, hucusque subiectae metropolitanae Endeheiae Sedi, erunt suffraganeae, ad normam iuris. Has insuper Litteras Venerabilis Frater Franciscus Canalini, Archiepiscopus titulo Valariensis atque in Indonesia Apostolicus Pro-Nuntius, curabit exsequendas, vel ab eo delegatus sacerdos in ecclesiastica dignitate constitutus, necessariis factis facultatibus. Re ad effectum adducta, negotii peracti documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione rite mittantur. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibusvis rebus non obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio et vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo nono, Pontificatus Nostri duodecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

JOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef*

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Antonius Macculi, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXII (1990), n. 2, pp. 121-122 © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana